


Bulau Demahimmitz

1774





DE. MATRIMONIO  
PERICVLVM. I

28.

IN. NVPTIAS. VIRI. DIGNITATVM. NON  
MAGIS. QVAM. MERITORVM. SPLENDORE  
CONSPICVI. DOMINI. IO. FRIEDERICI  
VILELMI. HASEI. SERENISSIMO. PRINCIPI  
ANHALT. SERVEST. IN. INTERIORI. CV-  
BICVLLO. AVLA. REGIMINE. CONSESSV  
ECCLESIASTICO. AERARI. CONSISTORIO  
ET. PRAEFECTVRA. A. CONSILIIS. A. D. IV  
NON. MAIAR. cIo Iccclxxiv. CVM. VIRGINE  
GENERIS. ANTIQVITATE. MAIORVM. GLO-  
RIA. ANIMI. CORPORIS. QVE. VIRTVTE  
ELEGANTIA. VENVSTATE. ILLVSTRI. DO-  
MINA. SOPHIA. HENRICA. BENIAMINA  
DALLAEA. SOLLEMNI. RITV. CELE.  
BRANDAS. GRATVLATIO

IN. GRATAE. ADDICTAE. QVE. MENTIS  
MONVMMENTVM. ET. AMICITIAE. SYM-  
BOLVM. EXHIBET VR. A  
IO. IAC. BVLAV

SERVETAE. TYPIS. BOEHMI

DE MATHIMATICO  
TERCIPAN



И ГЛАДОВАЩА ЕСТЬ ОДНОГО МОИ  
МУТИННОГО АМАЗОНКА ПОД  
АЛТИНХА МУНДИ



**C**ogitanti mihi, qua de re potissimum, hoc die,  
quem felicissimum **TIBI TVAEQVE**  
sumnum numen esse iubeat, **AMICE DIL**  
**ICTISSIME** differerem, ita, vt nec  
prorsus aliena foret a festa hac celebritate dicendi materia, nec  
tamen e triuiss rapta, **TVISQVE** et conuiualium oculis mi-  
nus digna, variae equidem obuersabantur animo species, suo quae-  
que nomine et titulo inuicem commendatae. Nihilo tamen se-  
cios matrimonium in primis se offerebat, et ob arctissimum, quo  
TE iam tenet nexus, praeferriri aliis, iure quodam suo postulare  
videbatur. Quod quamuis iniuria facere, iudicari vix poterat,  
non tamen deerant aliae rerum imagines, quae tanquam nesciae  
cedere, locum acerrime tuebantur. Ut vt enim **DIVITIA ARVM** inanem plerumque ambitum ex mente **TV A**, immo,  
quod praefiscine dixerim, mea quoque, haut aegre spreuerim, ea-  
rumque, quo singulare hoc praeципue die, elogio cohonestari  
gestiebant, conatum improbiorem facile represserim, obstabant  
tamen plures, quas haut leuibus argumentis propugnabant, vt  
honoris caussa, hoc die, earum fieret mentio, quippe cuius pars

**A magna**

magna essent, ita, ut eius expertes esse, aut remoueri ab eo posse, sat magna rationum congerie, fortiter negarent. Nec aberat multum, quin obtinuisset INVIDIA, nisi vellendo autem, tempestive submonuisset FAMILIARIS NOSTER\*, nec posse, nec debere trahi ad nostrae ciuitatis indolem, CHRISTIANAE sane, si qua vñquam alia, et ad meliores mores compositae, quae in socii vita verius ipse fortassis, quam cautius, suo de seculo et de vrbe sua, censuerit. Quo quidem fiebat, ut RECTI IGNORANTIA, quae in locum veluti succedebat, indiuidua prioris comes, eodem auctore ista, quam PLINIVS in eo mirabatur, ΣΕΜΝΟΤΗ reiiceretur. Quibus remotis aliae ex aliis succrescebant, quarum nulla tantum habebat frontis, quin dicendo ceteras superare niteretur. Inter quas acerrimus se iactabat GENIVS SECVLI, versicolor, plumatus, auratus, alatusque summo et vltra muliebrem anum, cultu comitus, purpurea e serico toga et amplissimo pallio, interioris lintei fordes, rutilante seu gemmis, seu vitreis fractis, diademate, capitis scabiem tegens, qui illud in primis fatagebat, ne notum quiddam et communi hominum sensu accommodatum, dicendi occasionem praeriperet, sed recens potius aliquid et indictum ore alio, in tanta celebritate effulgeret. Quae vero postulatio minus succederet, id quod pro iustissimo suo de me, meisque viribus iudicio non subuereri ipse non poterat, qua est summa mentis aequitate et in clientes suos paterna fere indulgentia, satis sibi fieri posse, tantum non ingenue profitebatur, si tritissima quaevis proferrem, modo verborum lenociniis comte, phrasium calamistris concinne, typorum denique venustate solide exprimerentur. Cui quidem rei ita inhaerebat, ut non solum sua sponte promitteret, plura se de AMORE et VENERE et GRATIIS et ARCADIA et CYPRO subsidia suppeditaturum, sed magnas quoque celeberrimorum per omnes puerorum virginumque choros, virorum auctoritates in medium pro-

\* TACITVS IN VITA AGRICOLAE §. I.

produceret, sola hac arte quae sitas, defensas, firmatasque, tum  
viam se straturum liberaliter polliceretur, qua ingeniose inuenta,  
acriter secta, felici curiositate dicta, STERNIO aliisque pau-  
cis, quibus rotundum GRAIORVM os, hoc aeuo, M VSA  
dedisset, clanculum subrepta, imitationis, si DIS placeret,  
titulo, nobis adaptarentur. Graviter praesertim adhortabatur,  
ne antiquato fere illo LATI quondam sermone vterer.  
Praeterea enim, quod isto colloqui, signum esset hominis ad  
morum ciuitatem et vernaculae urbanitatis amoenitatem mi-  
nus comparati, ad res gerundas plane inepti, acriter ultra vr-  
gebat, nullius eum iam esse vsus, nec utilitatis inde quidquam  
in quemquam redundaturum. Fore sane perpaucos, qui eo-  
dem, quo TV, VIR LITTERATISSIME, erroris odo-  
re ab ineunte aetate imbuti, ROMAN1 saporis memoriam  
pertinaciter nimis seruarent, esse longe plures, qui vel GAL-  
LICVM leporem recte praefерrent vel quintam eius partem,  
qua iam GERMANIAM delicatula nostri seculi VENVS  
conspersit, audius deglutirent. Nihil praeterea decerpi inde  
posse, quod ad communem publicae rei utilitatem faceret.  
Quum enim eo haec praecipue efficeretur, ut in breues laetitia  
dies cives viuerent, atque oblectationibus graue nimis incubans  
tempus, quam possit plurimum falleretur, iucundae vero con-  
fabulationes terendo illi quam maxime inferuiren, nec fere esse  
vnquam gratiorem humanae huic nostratum naturae sermonem,  
quam qui in alterius detrimentum vergeret, id quod praemio  
satis constaret, quo huius veritatis statorem \*, quae PALI floret  
academia coronauerit, facillimum fore intellectu, commodis  
hisce omnino omnibus latine loquentem excidere oportere.  
Ecquid enim colligere inde posse seu NONNIAM cum  
TITIA et CAIA, seu cum FABVLLA, SEIA et ME-  
VIA filiabus FANNIAM \*\*, aut si qua alia diurnarum e po-

A 2

moe-

\* RABENER IN ELOGIO CALVMNIAE.

\*\* IO. PIER, VALER, IN HIEROGLYPH, l. XXIV, p. 147.

moerii, suburbii, cauponibus et dicatis publice DIVAE  
**CALVMNIAE** sub djo, subselliis, nouellarum sit inda-  
gatrix, collectrix, distributrix, remuneratrix, pudentissimae fe-  
minae non dissimilis cuius, praeter **VLPIANVM** \*,  
**VALERIVS** \*\*, fortasse et **IVVENALIS** \*\*\*,  
honoris causâ mentionem facit, quo socios sociasque exhiba-  
tent. Nihil plane, nec de colore, nec de figura, nec de pre-  
tio vestium, nec de earum in ornatum additamentis, nihil de  
numero famulorum, nihil de famularum mundo, nihil de da-  
pium seu abundantia seu caritate, nihil de concentu musico, de  
eo qui duxerit choreas, quirue clauerit, nihil, nihil de sermone  
nuptiali, nihil de conuiualibus, latinis ex litteris constare posse,  
eoque fieri oportere, ut detrimentum potius ciuitas ex iis ca-  
piat, anquirentis scilicet curiositatis improbo labore, cui certa  
responsio nullatenus reddi possit, iracundam ad tristitiam vsque,  
praeter culpam defatiganda. Quae quidem omnia etsi veritatis  
colore quodam infucata venditari vellent, minus tamen pon-  
deris habere videbantur, tum quod ipse auctor suadendo nimium  
vacillaret, nec in momentum ex altero se sibi ipsum, pro natura  
sua, constare posse, neutiquam iret infitias, tum quod abunde  
supppereret, quo fallere tempus ingeniosae istae mulierculae ma-  
ledicendo possint. Apparebat enim, haut iis esse opus, ut tan-  
quam apes ex floribus mel, ita dicendi materiam aliunde colli-  
gerent, satis abunde potius ex iinis praecordiis suis **A R A C H-**  
**N E S** filias fila depromere posse, quibus tela sua perficiant ac  
elaborent. Accedebat porro, artem earum et virtutem illu-  
striorem reddi soli sibi relictam, nec alieno praesidio munitam,  
in primis, quum tantis praestantissimis eloquentia feminis quo-  
cunque demum modo succurrere velle, vel occasione saltim ad-  
cepta subuenire, nec fas, nec e re nostra, videretur. Vnde sta-  
batur.

\* *I. I. §. 5. D. de postul.*

\*\* *VALER. MAX. I. IIX. c. 3.*

\*\*\* *IVVEN. Sat. II. v. 69. conf. CVIAC, obf. I. XXVI, c. 38.*

*ALCIAT. PARERG. I. II, c. 37.*

bat sententia denique de MATRIMONIO pauca enarrare,  
quaec nec aliena essent a iucundissimi huius diei rationibus, nec a  
communium litterarum nostrarum commercio, nec tamen ita  
comparata ut subtilium quaestionum spinis horrentia metum le-  
sturis, tanquam aspera nimis incutere possent. Iam vero in ipso  
liminis aditu cuique non patere nequit, cum esse de MATRI-  
MONIO et IURIS NATURALIS, et EBRAEO-  
RVM positui, et rei ROMANORVM publicae, et iuris  
CIVILIS, et IVSTINIANEI, et PONTIFICII, et  
PATRII, et THEOLOGICI, et CONSISTORIA-  
LIS, et nouaturientis GALLORVM quorundam doctrinae,  
immensum ambitum, ut exiguo paucarum pagellarum spatio  
comprehendi tantum absit, ut possit, ut potius operae pretium  
fecisse, videri mihi possim, modo prima NATURALIS IURIS  
hac de re principia primis labris delibem, aliis temporibus  
et rebus aliis cetera seruaturos. Vnde primo hoc quod  
feci, periculo id moneri consultum duco, matrimonii vocabulo,  
strictiore isto ROMANI iuris sensu, me non vti, vtpote quo  
individua haec coniunctio, qualis e legum mente erat, connubium \*, inter ciues rectius appellaretur, quo nec LATINI \*\*  
adspirare poterant, ceteris cum gentibus ad matrimonium remissi,  
nisi, quod difficillimum primis reipublicae temporibus impetrata  
erat, ROMANORVM ciuium sacro profanoque iure es-  
sent potiti. Quae quidem cautio eo lubentius indulgeri mihi  
posse videtur, quam adsint legum verba, quibus ad coniunctio-  
nes minus iustas \*\*\* matrimonium refertur. Iam vero, quam  
iuris naturae doctoribus nulla incumbat obligatio, quo minus  
terminis iusti iniustique civili scientiae propriis in definiendis  
quaestionibus suis omnino abstinere possint, licitum potius ipsis  
sit, pro indole, vel rei, vel methodi, sua technologia vti; eadem  
A 3 que

\* SERVIUS IN AENEID. L. I. v. 77.

\*\* GUNDLING tom. II. part. X. opuscul.

\*\*\* L. 13. §. 1. d. AD LEG. IVL. DE ADVLT.

que dicendi libertate doctrinas suas quam plurimi exposuerint, pacem lectorum rogo, si promiscua nuptiarum, matrimonii, conubii, coniugii, et si qua sunt alia vocabula, hac in re illustranda, summorum virorum auctoritate fretus, adhibuerim.

Qui tamen viri summi, mirum forte videri possit, quantum in definiendo matrimonio inuicem a se differant, nisi inter sexcenta alia et hoc esset imbecillitatis humanae et suis limitibus circumscriptae documentum, quod haut fere vnquam mortales, seu in producendis, seu in enunciandis ideis, seu in demonstranda earum cum reipse conuenientia omnimoda, qua veritatem contineri nouimus, ex omni parte conueniant. Vnde falli quodammodo videtur elegantissimus de humanae naturae viribus AVCTOR PATAVINVS \*, qui non sufficere longaeiori homini vniuersam rerum naturam eiusque contemplationem, sed cito nimis ad stomachum et nauseam otiantis tum philosophi exhauriri, arbitratus est, quum adpareat potius, tot secula conciliandis et demonstrandis de rebus quam maxime obuiis mortalium opinionibus fuisse inferiora. Sed e diuerticulo in viam.

Constitutionem feminae sub custodia mariti, alii \*\*, societatem inaequalem alii \*\*\*, alii aequalem \*\*\*\*, alii ad procreandam sobolem \*\*\*\*\*, alii \*\*\*\*\* ad medendum libidini, alii † ad individuum coniunctionem ‡ alii ad diuiduam, alii ‡‡ auxilii ferrendi

\* DELLA PROPORTIONE TRA I TALENTI DELL UOMI  
E I LOR USI. PAVDA 1773.

\*\* GROTIUS DE I. B. ET P. l. II. c. V. §. 8.

\*\*\* idem, ib. it. BECMANN. IN COMMENT. p. 451.

\*\*\*\* GVNDLING I. N. C. XVI.

\*\*\*\*\* WIESAND. I. N. §. 126.

\*\*\*\*\* AVTOR HISTOR. HVM. MENT. ANECD. p. 163.  
it. BAYLE ART. HIPPARCHIA

† PVFFENDORFF DE O. H. ET C. l. II. c. II.

‡ TREVERVS IN NOT. AD H. L. p. 376.

‡‡ FEDER DELIN. PHILOS. p. II. §. 2, §. 42.

rendi caussa initam, et quae sunt plures diuersae doctorum sententiae, matrimonium dixerunt. Nec defuit vlli, quibus suam mentem propugnet, impugnet reliquorum, similis saltim veri ratio, ita, vt locum habere posse videatur, vetus illud, non fuisse vñquam opinionem, cui philosophorum aliquis ratiocinando non fuisset opitulatus. Quo tamen factum videtur, quod pluribus philosophicarum rerum disciplinis contigit, vt nimium intelligendo intelligamus fere nihil.

Nam eos, qui feminas matrimonium ineundo quasi in viri manus conuenire statuerunt, hanc opinionem e iure ROMANO ad iura naturalia transtulisse adparet, quod eo difficilius evitabant, quam singulare ROMANA RVM antiquitatum et legum ciuilium scientia quamplurimos suae aetatis, cetera doctissimos et in rebus gerundis exercitatissimos viros adeo antecellerent, vt omnem eruditionem suam ad ROMANAЕ rei faciem factam fere et compositam habere, viderentur. Quo quidem fieri, non poterat, quaecunque demum ipsis obvenierit vel dicendi, vel scribendi materies, quin ROMANI iuris dispositiones, definitiones, enarrationes vel inscii ad eam adserrent et cum ea commilcerent.

Alii vero, qui inaequalem virum inter et vxorem societatem, matrimonium esse, propugnauerunt, iis id euenit, quod multi alii nostri temporis philosophi in definiendis questionibus mere abs humana ratione pendebant, experti sunt, vt nimium delineatam verbis scriptisque diuinis, mortalibus ad aeternam felicitatem viam, cum ea commutauerint, cui pandenda muniendaque altera diuinac reuelationis pars, sola ratio, sufficere debet. Tum a differentia qualitatum vtriusque sexus, quae negari omnino nequit, ad differentiam potestatis et iurium hac in societate, quae perperam inde colligitur, ratiocinando progressi sunt, quamvis, quidquid huius diversitatis sit, id tamen nec tribuere principatum, nec adimere, cetera paribus, posse videatur. Quae

fi

si aliter res se haberet, nec inter consules ROME NOS, nec inter alijarum rerum publicarum plures optimates aequalitas, quae tamem patet e rerum gestarum monumentis, stabiliri conferuari que potuisset. Quod si vero e sexus differentia inaequalem imperandi obediendique rationem deducere quis vellet, is ILLVS STRISSIMVM, nostri seculi EXEMPLVM, quae co-gitent, quo diuersi sexus coimperantes, omni ex parte aequales, in summam sui gloriam, imperii falces, vti tenuerunt tenentque, ita utinam diutissime in reipublicae salutem, communis ciuium voto, obtineant.

Diuersae circa finem matrimonii sententiae hoc fere fonte fluxisse videntur, quod minus semper memores fuerint philosophi, vti plures cauſas, ita vnius rei plures quoque esse fines, nec eundem semper finem in eadem peragenda actione homines sibi praefigere solere. Tum fallacia diuisionis videntur decepti, dum finem, qui prior demum obuenerit, matrimonio modo non contrarium, pro vincio atque necessario arripuerunt atque in tutelam suam receperunt. Porro disiunxisse videntur tanquam contraria, quae diuersa saltim erant, quaenam si diligenter consideraueris, comprehensa a se inuicem et sibi subordinata esse, facili negotio expugnari potest. Vti enim fieri fere nequit, quin sobolis procreatio libidinis aestus demulceat, ita insitae isti animantium generi in venerem proclivitatem naturali ratione mederi, leuamen omnino et ad mutua subsidia pertinere videtur, quorum obtainendorum cauſa, coniugum haec societas plerumque iniri consueuit. Ex quibus elucere spero, superuacaneam esse de praestantia vnius trium horum finium praeter alteris disceptationem, quum negari facile non posse, vtrumque alterum mutui adiutorii nomine et comprehendendi et exhaustiri.

Maiores natae sunt et diligenter in immensum protractae circa quaestionem de solutione huius societatis, difficultates, quarum quidem prima, num vel mala in percutiendo, vel minus seruata in continuando contractu fides eum funditus tollat, minus

nus habet dubii. Alteram vero, an ad angustius humane vi-  
tae sollemni curriculo spatium contrahi possit coniugalis socie-  
tas, varie olim agitata, silentio tum fere sepultam, nostris de-  
mum temporibus resuscitatam et quae sunt diuersissima huiusmo-  
di opinionum quandoque fata, pro diuersa imperii formula, sta-  
tus ratione, principum religione, hic negatam, alibi vel omnino,  
vel sub limine certo, probatam, stabilitam et tantum non in  
vim legis assertam esse, meminimus. Cui quidem dirimenda  
lii conducere fortasse posset, si aduertat animus ad ea, quae in  
statu naturali locum habuere, quaeue, quum iam aut plane inuen-  
niri nequeat hic status, aut saltim certi aliquid de eo, qui in va-  
riis vel repertis fato, vel iactatione creatis insulis, existere fer-  
tur, nondum ad nos sit adlatum, cum iis comparari, quae ciui-  
lis status conditio postulat, aut ab illis ad hanc rationes subducari  
posse, veri non adeo videtur simile. Quae enim, si absque le-  
gibus, absque legislatore homine, absque vrribus, absque maioris  
multitudinis in vnum quasi corpus spontanea coniunctione,  
suis in siluis errantem hominem cogitaueris, nullo fere incom-  
modo premebantur ad breue aliquot annorum spatium icta ma-  
trimonia, ea sane remotis his omnibus, et firmato iam nostrarum  
ciuitatum statu, tantis omnino difficultibus sunt obnoxia, vt  
vel inuitus reiicias, quae priore casu facilissimus admiseris atque  
adprobaueris. Nam euanescunt in statu naturali statim a sub-  
lata societate, alenda, dimissa in rem suam sociae coniugis,  
discrimina, quae nostris moribus maximam vim habent ad im-  
pedienda connubia, tantum abest, vt habeant ad prohibendam  
repetitionem minorem. Nulla ibi restituenda dos, nulla tole-  
randae vitae praestanda subsidia, vtpote quarum altera, ea rerum  
facie, nulla constituta, praeter laboris et periculorum commu-  
nionem, altera facilia paratu et fertilissimae almae naturae beni-  
gnitate, nullibi non obvia. Vestium adparatus, ipsi iam plebe-  
culae in communem perniciem sollemnisi, naturali statu nullus,  
nullus mundi cumulus, nullae ornamentorum inexhaustae no-  
stro

stro aeuo varietatis, deliciae, nihil seruarum ancillularumque, (nisi seruorum aceruos dixisse, oportuit potius, quum magnarum ciuitatum more, non eurentur reuersa e caldis illustrium seminarum corpuscula, nisi a seruulis, virili quadam proceritate et laterum firmitate huic officio paribus,) in expensas denique, quibus aleae aliaeque oblectationes redimuntur, impendendi aeris nihil. Quae tamen omnia nostro seculo ultra recti fines ita excruere, vt parandis et representandis iis virorum principum opes vix sufficiant, neque tamen secus a minoris longe dignitatis mulieribus IVRE quodam CONSVE TVDINARIO\* expectentur, postulentur et quae est incredibilis pulchrioris sexus vis atque efficacia, saepius obtineantur. Itaque ut vel perperam, vel ioco tantum, vt erat liberalis ingenii, M A V R I T I V M SAXONVM comitem, GALLORVM imperatorem optimum maximum, in SOMNIIS \*\* suis, de utilitate coniugii LVSTRALIS censuisse, persuasum habeo, ita NATVRALI LEGI, huiusmodi societatis conventionem aduersari, idonea satis argumenta nondum mihi fuere obvia. Quamuis enim liberorum educandorum cura ad parentes omnino pertineat, si vel maxime in statu naturali constitutos species, ex hac tamen obligatione ad necessarium in omnis vitae spatium, coniugii conservationem minus recte deducitur ratiocinatio, tum, quod educatis ita, vt prospicere sibi possint, liberis cestet haec obligatio et concidat ab ea desumptum argumentum, tum quod ab altero parentum aequa, atque ab utroque educandis rite liberis satis prospici poscit, vt taceam consultias plerunque esse, si vel matrum indulgentia, vel patrum vitae morumque exempla a formandis liberorum animis, plane remoueantur.

Circa numerum personarum, quae coniugalis hoc societas contractu constringi simul atque eodem tempore possunt, plu-

\* GVNDLING IN OPVSCVL TOM. II p 142. seq.

\*\* LES REVERIES DU COMTE DE SAXE p. 207. seq.

plures incaluisse inter eruditos controversias; nemo non nouit. Is tamen coniugii modus, quo vniqa tantum femella pluribus cum maribus connubium paciscitur, quamvis ceteris animantibus non adeo infrequens, humanae rationi, seu quod idem est, iuri naturae aduersari videtur. Poteſt quidem obtineri quodammodo hac in POLYANDRIA mutui auxilij finis, haut tamen aequali gradu, nec ea copia, quibus inter duo matrimonium eum repreſentat. Num incerta redditur, alendorum, formandorum, instituendorum liberorum obligatio, et praeterea perperam plerumque peragitur, quod in communi negotio pluribus ut efficiant, commiſſum est. Vti enim BRITANNI olim, dum singuli pugnabant, vniuersi vincebantur \*, ita in re communi administranda saepius uſu venit, dum alter in alterius diligentiam ſpes suas reponit, ut vniuersa ab omnibus negligantur.

Alter modus, quo mas vnicus init pluribus cum femellis connubii societatem, quam POLYGYNIA M dicunt, vniuerso ceterorum animantium generi frequentatam, is vero iuri naturali minus videtur repugnare. Omnia repreſenrat, quae in coniugio, seu sperare, seu exposcere, fas est. Plantat, quod DIogenes aiebat, hominem, frangit libidinis impetum, praeflanta inuicem coniugibus subsidia multifariam adducit. Nec est, ut intemperantiae inſimuletur, quum pro diuersa rerum facie et varia hominum indeole, caſtitati potius conducat. Cui argumento vberimo fane, vtterius explicando preſſius inhaereremus, niſi occupatum eſſet a pluribus et religioni ducremus, ea nos dicendi libertate vti, cui praeter vernaculae urbanitatis fontem, SANCHEZ et alii ſic dicti CANONISTAE ad nauſeam et ruborem totos fe tradiderunt. Quibus POLYGYNIA E meritis factum videtur, non ſolum, ut inde ab orbe condito, plura hujus ſocietatis vestigia conſpiciantur, ad noſtra uſque tempora a multis magnisque gentibus lecta fer-

B 2

vata-

\* TACITVS IN AGRICOLA C. XII.

vataque, sed etiam, vt ad defendendam plurium femellarum cum uno mare pacto firmatam societatem, doctissimi viri statim a resuscitatis litteris, clypeum sustulerint. Recensendis eis eo minus immoror, quod nomina eorum ad vim et virtutem argumentorum nihil adferant, nec multum absit, quin potius aliquid detrahant, quum, quae sunt praeiudicatae nonnunquam hominum opiniones, ea condemnari soleant, quae, vel a damnatis eodem praeiudicio profiscuntur, vel contra receptas facta, vtilitate, consuetudine, desidia denique et meditationis impatientia, vel vera obiciuntur, vel quamvis dubia, innocua tamen disputantur. Qua de re illud tamen monendum duco, ne quis a nuda iuris naturalis quaestione ad quaestiones progrediatur, quae vel e **CHRISTIANA** morum doctrina, vel administrandae reipublicae prudentia decisionem repetunt.

Fatendum enim est, longe aliam esse huius de **POLYGYNIA** doctrinae faciem, si quis quaerat, num consultum sit, usum ac consuetudinem eius nostris in ciuitatibus tolerari, aliam, num maiori puritati et morum sanctitati, quae **CHRISTIANIS** incumbit, exesse respondeat **POLYGYNIAE** licentia, et aliam denique, si de concordia eius discordiae cum **LEGIBVS** mere **NATVRALIBVS** disputatio instituatur. Vnde fere nescio, num magni usus esse possit in diiudicanda hac lite, argumentum, quod nostra aetate a doctissimis viris, magno satis eruditionis adparatu prolatum, nec minore ingenii acie collocatum, a pari utriusque sexus numero depromtum, in tantam auctoritatem crevit, vt, quidquid moueri solet de hac quaestione, eo solo explicari posse videatur. Quod quounque vim atque potestatem suam porrigat, paucis inuestigemus.

Negari equidem nequit, quod subductis numerorum rationibus extra dubium positum est, aequalem fere numero utrumque sexum nasci, immo, si quae adsit in prouento differentia, in mari-

maribus eum vberiorem esse, atque in feminis, quippe quae quauis in centuria, VNO masculo supererentur, quam quidem rem ita omnino se habere, conquisitis summa opera, vndicunque natorum enumerationibus mirifice confirmarunt. Praeterea e mortuorum catalogis publicis calculum ducendo, effecerunt, vt dubitari non possit, quin, si medium hominum aetatem species, aequalis vtriusque sexus numerus vivat, quum, qui plures nati sunt masculi, variis casibus, quibus frequentius se offerunt, abripiantur.

Vnde colligunt POLYGYNIAE impugnatores, contradicere eam tum legibus diuinis, de quarum sententia ipsa hac aequalitate constare possit, tum humanae rationi, quippe quae neutiquam ferat, vt penitus alter eo excludatur, quo otiosa alter abundantia frui velit. Praeterea peragrande eas regiones, in quibus POLYGYNIA vel obtinet, vel toleratur, reperisse se crediderunt, ea hominum multitudine refertas eas nequaquam esse, qua illae terrarum partes abundant, quibus monogamia tantum vsu floreat. Qua quidem ex re prioniores fuere in argumentationem deriuandam, obesse nimirum POLYGYNIAM multiplicando humano generi, eoque ipso tollere, imminuere sicut scopum a natura praefixum, quae tamen nec supprimi, nec intra angustiores limites cohiberi debeat, nisi naturalia praecepta spernere omnino quis velit.

At enim vero quod plorunq[ue] fieri solet, vt regnet quasi et late imperet inter philosophos sententia quaedam, sancta hoc seculo et quam adgredi nefas sit, quae tamen a nepotibus vel obliuioni tradatur, vel ad somnia referatur, vel excitando risu cogatur inferire, cuius a renatis inde litteris plura extitere et relationum historicarum et superstructarum iis, aut alii fundamento innixarum hypothesis exempla, id fere parum abest, quin hunc etiam arguento imminere fatum possit, quamvis a

magna doctorum viorum parte per maiorem EVROPAE ambitum, mirum in modum iactato, immo ab ipsis iis, tanquam inexpugnabile sit, reuerenter habito, qui alioquin vix praetermitunt occasionem, qua ad commendaundam VENEREM et mouendam libidinem, prorsa forsique oratione, ultra decrepitae iam aetatis vires, aliquid se afferre posse sperant.

Quamuis enim ei expugnando nostras neutiquam sufficere vires, habitando nobiscum noscendoque supellectilem et sciamus certo, et lubenter fateamur, non tamen desperamus eam ob rem, quin cotis vice fungi queamus, ita ut excitentur leuioribus nostris annotatiunculis, qui maiore longe ingenii vi atque praestantia praediti, pluribus eruditonis subsidiis instructi, quae demum et quantae sint huius ratiocinii ad prosternendam polygyniam vires, ab omni parte sollicite inuestigent et curatissime definiant.

Id saltim nobis liceat animaduertere, quidquid demum de pari vtriusque sexus hominum numero tanta veritatis specie praedicari solet, tanquam haec res ab omni dubitationis periculo foget immunis, id tamen, quantum est, tam firmis propugnaculis munitum haut esse, quin expugnari plane nequeat. Nam patet omnino ratio, qua natorum mortuorumque calculus subduci consuevit. Non adhibentur fere expediundo huic negotio, nisi A EDIT VI quidam, boni sane viri, sed litterarum plerumque expertes et omni scientiae praefidio destituti, finis istius, ob quem hic labor imponitur, ignari, et si vel maxime eum non ignorent, opificiis suis magis intenti, quam ut superfluam suo iudicio, inutilem et quod scelus, gratuitam operam, alia ratione, atque quam maxime perfunctoria suscipere, consultum ducant. Tum adlati e pagis vicisque ad metropolim istorum natorum mortuorumque rationariis vix aequior fortuna adridet, quum quidquid curae, quidquid diligentiae, quidquid perspicaciae huic rei admovendum venit, id omne summa cautione EPHORO plerumque

que referuetur, quasi is vero commissos antea, vel in calculo ponendo, vel in sexu declarando errores, vlla ratione emendare valeat. Vnde fides huiusmodi relationum tantum abest, vt illibata cerni possit, vt potius ob multas easdemque graues causas, non nisi sub sollicita omnium circumstantiarum excussione, momenti aliquid ei sit relinquendum.

Sed ponamus, ne nimis difficiles videamur, quidquid de veritate harum e libris baptismalibus emortualibusque relationum adduci solet, id omne ita se habere, vti proditur. Parum inde praesidii **MONOGAMIAE** fautoribus exsurget. Quidquid ex facto hoc, cuius veritatem interim gratis assuumimus, colligere volunt, conclusum videtur, quod negant **LOGICI** rite fieri posse, a particularibus ad vniuersale. Admodum enim paucae dantur ciuitates, pauciores regiones, quibus iniiri solet hac de re certa et cui fidere possis, computatio. Si **LONDINVM** exceperis, **VIENNAM**, **AMSTERODAMVM**, **BEROLINVM** et ceteras pontificio cultu non obnoxias **EVROPAE** metropoles, vix erit, quod ultra adferas. Nihil certi de **ITALIS**, nihil de **HISPANIS** **LVSITANIS**que, nihil de **PANNONIIS** et **POLOНИS**, nihil de **SCOTIS**, **HIBERNIS**, **GRAECIS**, **TVRCIS**, de omni **ASIA**, **AFRICA** et **AMERICA** nihil inuenieris ab auctoribus dignis fide relatum, quod ad illustrandam, aut hanc rem confirmandam, vlla ratione facere possit. Quam ob rem parum certitudinis obtineri poterit, a longe paucioribus ad omnia concludendo,

Solent equidem **PHILOSOPHI** vti interdum hoc argumentationis genere, quod ab **ANALOGIA** vocant, quam similem sibi prorsus naturam vbique esse gentium, vbique locorum, nec vnquam a se ipsa differre, satis confidenter praestrument, ea tamen plerumque sunt modestia, vt ultra quandam vero simili-

similitudinis speciem, haut fere quidquam illi tribuant. Ita **FONTENELLIVS** \* sola ab **ANALOGIA** argumento nixus, in lunam non solum, sed in ceteros quoque similes lunae planetas, hominum, simi mavis, animalium ratione praeditorum colonias deduxit, qua iucunda satis hypothesi, amantissima sui ingenii **GALLICA** gens in hunc usque diem gloriatur. Quam vero fallat saepius, quam absit a veritate, immo a similitudine veri, id ob oculos ponit, facillime potest. Erraret dubio procul natus sub septentrionibus **SVECVS**, qui non dari, nisi candidae cutis, caerulei oculi et promissae caesarie viros, in orbe terrarum, ex analogia suae vicinaeque **DANORVM** gentis, arbitraretur. Erraret **AETHIOPS**, qui spectato nunquam albicantis faciei viro, nigro colore homines infucatos esse omnes, sibi persuaderet. Fefellit idem ratiocinandi modus **INDORVM** regem, cui incredibilis videbatur **ANGLI** relatio, constringi in firmam glaciem rapidissima flumina enarrantis, ita, ut cum impedimentis exercitus transmitterent et grata exteris solidae aquae merx in longinquas regiones transveheretur. Nunquam enim variare rebatur rerum naturam, nec intelligebat, eam delectari saepius variando, longeque aliam esse apud

toto diuisos orbe **BRITANNOS**

atque circa **GANGIS** fluuii litora, usque dum missam a septentrionibus iussu suo, glaciei moleculam, nota satis arte a solidis caloribus defensam, oculis eius solers in hanc rem **ANGLV** subiiceret. Nec errauerunt alio modo **AMERICAЕ** et vicinarum ei insularum aborigines, qui deos esse **HISPANOS**,

gla-

\* IN DIALOGIS DE PLVRALITATE MVNDORVM, ubi obiter dicendum, non fictam esse, quacum colloquitur, MARCIONEM, sed exitisse reapse, MARGARETHAM nempe de RAMBOVILLET, MARCHIONI de MESANGERE, summi minoris BRITANNIAE senatus consiliario, nuptam.

gladios fulgura, equos eorum igniuoma et ratione praedita animantia credebant, antequam pulueris pyrii usus et equitandi ratio ipsis innotesceret.

Verum enim vero etiam si concedamus, eandem humani generis circa sexus paritatem, ubique gentium conditionem esse, quae de quibusdam EUROPAE ciuitatibus tantopere praedicatur, quid ad stabiliendam MONOGAMIAM et profligandam POLYGYNIAM praesidii inde peti possit, nondum satis adparet. Praesupponendum enim foret utique, eam esse NATURALIS IVRIS legem, ne quis caelibem vitam transmitteret, sed suum suamque quilibet hominum coniugem necessario haberet. Nam sola hac ratione effici posse videtur, ne quid superfit ex alterutro sexu, quod incultum, truncus iners, inutile lignum, despiciatur. Iam vero, quum nec ius NATVRAE hanc legem atque ad matrimonium paciscendum ita sit obligatio comparata, ut ex prudenti consilio potius pendeat, omni cuiusvis rerum facie, diligentissime excussa, num sufficiat sustinenda familiae, alendis educandisque liberis, adeoque summa in contrahendo vel minus coniugio homini libertas sit relieta, facile est intellectu, fieri non posse, quin iste semper femellarum numerus sit in promtu, qui in POLYGYNIA pronis abunde sufficiat. Nec obstat grauter, quod omnibus hac ratione satis fieri non possit, quum VNIVERSALIS POLYGYNIA nec fuerit vñquam in questione, nec casus iste, quo singulis plures mulierculae in fortem non cedere posse videntur, ad definiendam litem, num POLYGYNIA simpliciter spectata IVRI NATVRAE aduersetur, quidquam adferat.

Prouocant vtterius, vti supra monitum, MONOGAMIAE defensores ad experientiam, qua se docere posse, confidunt, minorem longe hominum iis in regionibus habitare numerum, vbi POLYGYNIA obtinet, atque in his, quae MONOGAMIAE legibus obtemperant. Vereor autem, ne causam rei adferant,

C

eius

eius quae cauſa non sit. Quod si enim conſideres has regiones, despotico eas plerumque imperio omnes fere premi vaſtarique, intellexeris. Cuius imperii quanta sit ad imminuendum genus humanum et depopulandos agros, violentia, inde ab orbe condito, eadem, quam excitant boni iſti viri, experientia conſtat, tum ab ipsis vltro, profiſione ſua et testimonio conceditur. Id quod eripitur eo magis dubitationi, ſi duo imperia a POLYGYNYA plane libera, ſed diuersa regnandi formula administrata ſpeces, numerumque incolarum non ſine cura inueſtiges, GAL-  
LIA HISPANIA que v.c. non minus, quam BRITANNIA  
POLYGYNIAM proſcribunt, nihil tamen ſecius, ſi priores cum hac comparaueris, certo inuenies, hominum numero iſtas multum ſuperari, quamuis nec agrorum fertilitate, nec commer-  
ciorum commodo, nec ceteris ſuſtentandae vitae ſubſidiis, BRIT-  
ANNORVM insulis vlo modo concedant.

Quibus omnibus diligenter conſideratis, non dubito fore plerosque, qui, ſi quam praeceperunt de inuicto huius argumen-  
ti robore, opinionem, quod a pari vtriusque ſexu numero excieri atque contra POLYGYNIAM in primam aciem collo-  
eori ſolet, haut parum de ea remittant et vltra probabilitatis li-  
mites nequaquam illud progredi, ingenui fateantur. Quae qui-  
dem ſp̄es eo augetur magis, quod in ceteris animantibus diuerſo et multifario ſane ordine communis rerum natura ſuam rem agat,  
quum v. g. ceruorum genus feminis abundet, domesṭica animalia pari fere numero, vtroque ſexu naſcantur, ita, vt ad POLY-  
GYNIAM iis adſerendam, quam in quibusdam aliae rationes expoſunt, arte ſit opus et cultello. Tandem hoc fateamur, ne-  
ceſſe eſt, ſi vel maxime omnis viſ huius argumenti corruat, ne-  
mini tamen ſano his in terris peruaſum iri, vt commendare ideo  
POLYGYNIAM ausit. Aliis enim ea difficultatibus premitur,  
tum ex indole CHRISTIANI cultus oriundis, tum formae ci-  
vitatum arctiſſime innexis et fere inſitis tum denique ob viuendi  
ratio-

rationem nostram nullo modo tollendis, ea potius ipsa mirifice auctis et confirmatis. Nec id fuit, de quo disputauimus, de eo tantum solliciti, num constringat satis saepius laudata summorum virorum contra naturalem POLYGYNIAE iustitiam ratiocinatio. Cui rei si quid lucis adtulisse existimemur, e votis nobis successisse, laetabimur, sin minus, ab aliis expectabimus, eaque grati perfruemur.

Alia multa iam superercent, quibus dicendis in volumina distrahi possit oratio. Sed nimia sunt et numero et pondere, nec sufficeret facile harum pagellarum modus, nec suppeteret otii satis.

Vnicum istud addere licet, prodiisse nuperime de matrimonio libellum \*, lepidum sane et facetum, nec qui obrepere lectori somnum patiatur, ita tamen comparatum, quamuis iucundissimo dicendi genere trahat legentium animos, ut a quibusdam minus recte positis non satis sibi temperasse videatur. Quem TIBI, VIR SPECTATISSIME, nec nominarem, nec quod lubens facio, commendarem, nisi de doctrina eius certiorem TE quodammodo, flosculos quosdam eius decerpendo, reddere vellem.

Ab initio statim acerbe satis conqueritur ANONYMVS ACTOR, quod quae olim in laude ponebatur \*\*, nimis iam sera sit GERMANORVM VENVS. Grauiter expostulat cum omnibus difficultatibus iis, quas ad tardanda, saepius ad impedienda matrimonia luxurians SECVL V huius GENIVS nimium quantas proh dolor, obiicit. Negat ultra annum decimum octauum nuptiale negotium a maribus differri oportere, nec consultum esse, virgines, a quarto et decimo anno, frigidissimis noctibus caelibes relinquunt. Qui contra agat, contra naturam eum agere edicit, quippe quae terminum incoandi matrimonii pubertate definierit. Nec refe-

C 2

ren-

\* VEBER DIE EHE, BEROLINI 1774.

\*\* CAESAR DE B. G. libr. VI, c. XXI, TACIT. DE M. G. c. XX,

rendam hanc rem ad veteres GERMANORVM mores, impares  
 iis nos esse, eorumque et viuendi et agendi rationem a nobis fa-  
 pientioribus iamdudum antiquatam. Obstrictos esse arctissima  
 obligatione parentes, vt nuptiarum facilitatem, quamcunque de-  
 mulcere, quan id fieri primum posset, procurent, quorum negli-  
 gentia si nimis extrahantur liberi, integrum his esse, quo cunque  
 modo consulere sibi et res suas agere, ita, vt publica re intersit,  
 solo nuptiarum contractu, et patriam potestatem solui et aetatis,  
 quam dicunt, veriam impetrari, atque ad eam rem publicam tabu-  
 larum auctoritatem adcedere oportere. Grauissimum enim esse  
 matrimonii subeundi negotium, theologi, iuris consulti, medici per-  
 sonam sumi facillime ponique, patrem a nemine reapse agi posse,  
 nisi a patre, nec alia, quam vi et virtute sua, ita vt larua nullo  
 modo hic admittatur. Non excitari mentis vires, nisi nubendo  
 ducendoque nec edidisse vñquam EVNVCHVM insigne fa-  
 cinus et quod operaे pretium fecerit. Scelus esse, quod pae-  
 libatis in prima iuuentute exhaustisque non raro adolescentium  
 viribus, non nisi faeces sponsae virginis offerantur, cui eandem  
 ob rem vitio verti nequest, si de parando puriore a torculari  
 mero interdum sit sollicita. Non creari fortes, nisi fortibus,  
 nec esse fortes, nisi qui integris viribus ad rem agendam adce-  
 dant, vnde primogenitos posterioribus nunquam non animo et  
 corpore paeualuisse, quam paestantiorem indolem spurii adhuc  
 retinerent, quod nimurum solo amore duce gignerentur. Non  
 posse producere seniores coniuges, nisi similes sui, id est, effo-  
 tos et imbecillos liberos, parentum infirmitate in partus trans-  
 missa. Nefas esse tot impediri matrimonia, tot enecari ante-  
 quam viuerent homunculos, absque vlla ratione, praeter eam,  
 quae a MORIBVS SECVLIS et vsu recepta vbiique locorum  
 luxus necessitate, repeteretur. Vastari caelibatu et tardiore ma-  
 trimonio vrbes, distrahi iisdem ciuium opes, minui incolarum  
 numerum, nec tamen posse effici, quin vterque sexus impro-  
 bissima luxurie se perditum eat. Stare itaque sententiam suam,  
 quam

quam maxime festinanda matrimonia, nec liberorum de iis contrahendis consummandisque arbitrium, vlo limite esse circumscribendum.

Hoc ex specimine, quo orditur auctor opusculum suum, facile intelliges, **VIR SPECTATISSIME**, quale sit eius ingenium, quae dicendi facultas, quaeue argumentandi ratio. Num lusisse velit in re seria, an seueriorem vultum ludicris quibusdam praefigat, idem perspicies. Crediderim fere, celerius eum, stantem in pede uno, scripsisse, quam esse meditatum. Nec enim, quam prodit cetera, concessisse videtur ingenii acies, quo minus agnouerit, secreta sibi republica opus esse, quae festinatis tantopere matrimonii, nihil detrimenti capiat. Si statum naturalem cogitauerit, recentes a caelo homines, qui vel **THESSALICIS**, vel ad **TIGRIM PARADISIACIS TEMPE** fruerentur, aut **TINIANAM**\* incolerent, ita, vt praeter villam laboris molestiam, decerpere ex arbore, aut tollere ex terra possent, quae ad vietum cultumque desiderarent, aethere eo vsque ipsis militante, vt coniurati in eorum vota venti, assas columbas, quod aiunt, adferant, non esset, quod submoneremus, praeter unicum istud, quod lectores suos hac de fictione sua sat lepida, non fecerit tempestue satis certiores. Sin vero nostrum statum, nostram rerum omnium faciem spectasse et in communem usum consuluisse, videri velit, quam quidem speciem non tantum prae se fert, sed sequentibus quoque libelli sui capitibus non sine laude exequitur, in medio reliquise videtur, an fabulam peregisse, an vero vigilando somniaesse, maluerit. Si quis enim cogitat, quae futura sit ciuitatum facies, concessa vbique liberis licentia, in-

C 3

eunte

p. 271

\* **v. ANSONII ITER p. II, p. 271.**



eunte aetate, de matrimonio suo, praeter parentum mentem, immo contra eorum voluntatem statuendi, quidquid velint, is procul dubio animaduerterit, summa imis, quadrata rotundis licentia ea misceri, generis necessaria discrimina tolli, opes iustis possessoribus eripi, familiarum vincula solui, liberorum educationem negari et vulgo fere eos quaeri, oportere. Quae porro inde parricidiorum facinora, quanta divoritorum seges, quanta paupertatis incrementa, quot expeditae fraudum viae, quae stupra, quae vis et omnium fere in omnes bellum inde proficiuntur, ea omnia ad intelligendum ita sunt facillima, ut addendo verbulo supersederi possit. Quodsi enim rei illustrandae gratia, seu HIRTIAM ponas, seu NVCIERIAM quatuordecim annorum virginulas, iisque liberum, cui nubere malint, arbitrium permittas, experiundo senties, haut quaquam eas id spectaturas, ut viro nubant, alendis formandasque liberis idoneo, sed quo ruunt caelibes iam in vulgarem fere VENEREM aestu, vexilliferum quendam vel subcenturionem, communem virginum pestem, nulla re alia, quam iuuenta sua, laterum robore et virium firmitate commendatos, cuius, vel dignissimo viro esse praelaturas. Quodquam gratum accidat parentibus, quam sit ad formandam et conseruandam familiam aptum ineptumve, nemo non videt, qui hanc in dies vel menses aliquot nubendi rationem perspectam habet. Nihilo tamen fecius dignum lectu libellum censeo, eoque nomine TE coram, CANDIDO HARVM RERVM IVDICE, mentionem eius feci, quod eo facilius excusari poterit, quum haut fere quisquam incognitum antea iter ingrediatur, quin itineris ducem gratum acceptumque ferat.

Haec

Haec iam *TVA* est conditio, *VIR SPECTATISSIME, AMICE DILECTISSIME.* *VIRGINEM* ducis, cui, qua ex parte quidquam desit, ne inuidia quidem indicare potest. Tanta cluit generis antiquitate, ut maiorum gloria vel iis sufficiat, qui ad hastatos ludos admitti, vel circa cathedralem quam dicunt, aedem *LIBERO PATRI* deuoueri, ad summos honores referunt. *IOANNEM* saltipm *DALLAEVM* eiusque filium *ADRIANVM* excitasse liceat, quo adpareat, quam illustre fuerit a duobus inde seculis *DALLAEAE* gentis nomen. Ea est forma, qua vel indotata ditissimo commendari queat, eo aetatis flore, ut vel solo hoc placeat, iis moribus, vt abs amoenitate et integritate eorum, ipsa venustas augmenta capiat et tranquilla admodum atque iucunda viuendi ratio, dextre *TIBI* inde praesagiatur, idque eo magis, quum *EIVS* sub oculis educata, formata, instituta sit, cuius *SOLO NOMINE*, si ob collegii atque amicitiae vinculum, citra adulationalis suspicionem hic ponи posset, in certam fidem spes haec deduceretur. Cetera, quum non sit, qui nesciat, prudens premo, satis certus, ita *TE* noui, verum iis pretium abs *TE* statui, nec vereri quenquam posse, ut amplissimis fortunae dotibus vel superbias vñquam, vel minus liberaliter iis inseruias.

*TIBI VIRGO* nubit, viro omni litterarum praesidio ita instructo, ut haut fere sit negotium, cui feliciter perficiendo impar habeare, ita rerum summa cum laude actarum agen-

D

darum-

darumque vsu exercitato, vt in dies honoris atque opum incrementa TE maneant, quum sis praeterea ingenio facilis, animo recto, moribus ad aularum elegantiam compositis, nec eo minus a fuso alienis. Quae quum ita se habeant, ita vero se habere, satentur omnes, summa exoritur spes, fore, vt felicissimam AMBO VOS acturi sitis vitam, quae ut longaeua sit, secunda valetudine firmata, grata prole hilaris, ex eo, quem nosti, addicto et multis nominibus deuincto TIBA animo, in votis meis habeo primum. Ceterum cura, quaeso, ut valeas, atque ut amare me pergas, rogo. Dabam Seruetae a, d, IV. Non. Maiar. clo locc lxxiv.



MC

FC 1577

ULB Halle

005 461 804

3







129. DE, MATRIMONIO  
PERICVLVM, I 28.

IN. NVPTIAS. VIRI. DIGNITATVM. NON  
MAGIS. QVAM. MERITORVM. SPLENDORE  
CONSPICVI. DOMINI. IO. FRIEDERICI  
VILELMI. HASEI. SERENISSIMO. PRINCIPI  
ANHALT. SERVEST. IN. INTERIORI. CV-  
BICVLO. AVLA. REGIMINE. CONSESSV  
ECCLESIASTICO. AERARI. CONSISTORIO  
ET. PRAEFECTVRA. A. CONSILIIS. A. D. IV  
NON. MAIAR. c1510cclxxiv. CVM. VIRGINE  
GENERIS. ANTIQVITATE. MAIORVM. GLO-  
RIA. ANIMI. CORPORIS. QVE. VIRTUTE  
ELEGANTIA. VENVSTATE. ILLVSTRI. DO-  
MINA. SOPHIA. HENRICA. BENIAMINA  
DALLAEA. SOLLEMNI. RITV. CELE-  
BRANDAS. GRATVLATIO

IN. GRATAE. ADDICTAE. QVE. MENTIS  
MONVMMENTVM. ET. AMICITIAE. SYM-  
BOLVM. EXHIBET VR. A  
IO. IAC. BVLAV

SERVETAE. TYPIS. BOEHMI

